

## INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

### *De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (36)*

#### 4.12.2.2. De ipsis missionariis scholis Africanis Benedictinorum

Etiam Benedictini Ottiliani - sicuti plerique alii missionarii - condicionem perspectam habuerunt, quā Africanorum eruditione scholari praeter alia bonus effectus missionarius perpetraretur. Itaque Benedictini iam satis mature in regione suā missionariā in quaestionem scholarem incumbere coeperunt. Imprimis ex tempore, quo P. Maurus Hartmann erat Praefectus Apostolicus,<sup>1</sup> schola missionaria magis in conspectum Ottilianorum vēnit. P. Maurus Hartmann etiam erat is, qui rete stationum missionariorum paulatim in interiora territorii extenderat.

Annis primariis Benedictini - sicuti aliae missiones quōque - liberos in servitudinem redactos sive emptione sive auxilio regiminis liberaverunt atque in orphanotrophēis locum vivendi eis praebuerunt. Scopus autem erat in eo, ut liberi ibīdem erudirentur atque scientia elementaria legendi, scribendi computandique eis traderetur, scilicet institutione religiosā nequaquam neglectā (cum eadem esset maximi momenti), et praeterea in varios labores manuales introducerentur. Deinde - et hōc erat consilium - erat in votis, ut iuvenes sic Christiano modo educati in propinquo stationum atque in ipso territorio missionario vicos Christianos instituerent ibīdem habitantes, laborantes atque familias Christianas condentes.<sup>2</sup> Revera initia huiusmodi iam facta erant, imprimis in loco Kurasini, ubi oecotrophēum scholare pueris destinatum


---

1 P. Maurus Hartmann erat inter annos 1894<sup>um</sup> et 1902<sup>um</sup> Praefectus Apostolicus, antequam regio missionaria anno 1902<sup>o</sup> Vicariatus Apostolicus factus et P. Cassianus Spiss Vicarius Apostolicus atque episcopus redditus est.

2 Sic rem descripsit Paulus SAUTER: Die St. Benediktus-Missions-Genossenschaft. St. Ottilien 1894, p. 19. - *Cfr* etiam Franz Solan SCHÄPPI: Die katholischen Missionsschulen des Tanganyika-Gebietes. Oberginingen 1935, p. 68, pp. 78 sq.; Franz Solan SCHÄPPI: Die katholischen Missionsschulen im ehemaligen Deutsch-Ostafrika. Paderborn 1937, p. 177, pp. 188 sq.; Frank DÖRNER: Das Kolonialschulwesen in Deutsch-Ostafrika. Bochum 1995, p. 38 (opus magisterii ineditum). - Anton MARKMILLER: «Die Erziehung des Negers zur Arbeit». Berlin 1994, p. 132 videtur aliquid falso intellexisse atque perturbavisse, cum scriberet Benedictinos scholas regiminis imitatos aliquando se convertisse ad talem eruditionem, quā Africani officiales coloniales educarentur. Eos itaque oecotrophēa atque vicos Christianos instituisse, ut ibīdem officiales Christianos erudirent.

fundatum erat,<sup>3</sup> simile institutum puellarum a Sororibus ductum in oppido Daressalamensi situm erat.

Tamen hic modus progrediendi non nimis diu mansit in usū, cum unā ex parte orphanotrophēa vel oecotrophēa multo cariora essent quam scholae, ad quas discipuli cottidie venirent, et alterā ex parte in regionibus interioribus saepe areae non satis fecundae essent ad integros vicos Christianos condendos. Methodus autem utilior efficaciorque, quae excolebatur et quae per multos annos adhibebatur, constitit in eo, ut in unāquāque statione missionariā saltem schola principalis elementariae conderetur, quae deinde reti



*Rete scholarum exterarum circa stationem Nyangao.  
Delineatio Abbatis Norberti Weber, quam die 27 m. Jun. a. 1905  
in diarium suum inseruit (ASO, A.1.8.1).*

- 3 Ibīdem vici Christiani iam condebantur. - Cfr Maurus Hartmann: Relatio de statu Praefecturae Apostolicae Zanguebarensis Meridionalis, 1.5.1887, p. 4 (ASO, Z.1.08): «Erectum est ibi [sc. Kurasini] orphanotrophium, in quo educantur 112 pueri, omnes servitute redempti. Qui omnes catholica religione quotidie et usu et disciplina imbuuntur et primis litterarum elementis instituuntur.» p. 5: «Imprimis id spectamus, ut nostri alumni utili operae et occupationi assuefiant. Qua re in hac statione [sc. Kurasini] variae sunt institutae officinae, in quibus et aequae in agris et hortis pueri variis artibus et laboribus erudiuntur et exercentur. Qui pueri, si ad annos pubertatis pervenerunt, puellas ex orphanotropio Dar-es-Salaamensi in matrimonium ducunt et in propinquo vico christiano domicilium instituunt et adiacentibus paganis speculum christianae familiae praebent. Qui vici catholici duo hodie existunt.» - Textus originaliter Latinus.

scholarum exterarum, quae dicuntur, circumdarentur. Hoc systema decursū temporis magis magisque extendebatur.<sup>4</sup> Hunc enim in modum Benedictini quam plurimos liberos iuvenesque ad scholam attrahere atque quam plurimis discipulis possibilitatem scholae frequentandae praeberere voluerunt.<sup>5</sup> Nam respiciendum quōque est in Africā Orientali distantiam inter singulas stationes missionarias, inter singulos vicos et inter stationes missionarias atque vicos satis magnam fuisse, minimum itineris nonnullarum horarum, saepe etiam itineris nonnullorum dierum. Itaque sine talibus scholis exteris praesertim liberis, qui non fortuito in propinquitate alicuius stationis missionariae habitaverunt, omnino nulla occasio alicuius eruditionis scholaris fuisset. Nihilominus subiungendum est in aliquā scholā exterā fundandā semper permissio Africani principis localis roganda erat, in cuius territorio schola situm haberet. Tamen nonnulli tales principes ipsi a missionariis scholam instituendam petiverunt.

Etiamsi principia generalia in rebus scholaribus missionariis iam satis mature exstabant, tamen denique episcopus Thomas Spreiter maius pondus in hōc thema imposuit atque indefatigatē rem respiciens instigansque decursū temporis maiores progressūs effecit.<sup>6</sup> Scholae enim ei maximi momenti erant, cum ei persuasum erat eos, «*qui iuventutem tenerent, tempus quōque futurum*

---

4 Franz Solan SCHÄPPI (1935), p. 79; Franz Solan SCHÄPPI (1937), p. 190 et Frank DÖRNER (1995), p. 36 scribunt mutationem methodi imprimis episcopo Thoma Spreiter docente exortam esse. Certe tēdem hōc sytema variis ex causis magis instigavit, tamen iam antequam Thomas Spreiter anno 1906° Vicarius Apostolicus redditus est, circa unamquamque stationem missionariam tale rete scholarum exterarum exstitit. Hōc iam apparet ex Abbatis Norberti Weber diario itinerario anni 1905<sup>1</sup>, quo ille saepe de excursionibus ad tales scholas factis rettulit. (Cfr Norbert WEBER: Reisetagebuch Afrika 1905, 13.6.1905, 15.6.1905, 16.6.1905, 26.6.1905, 4.7.1905, 10.7.1905, 15.7.1905, 16.8.1905 (ASO, A.1.8.1)).

5 Praesertim tempore Thomae Spreiter extensio huius retis scholarum cohaerebat quōque cum scopo, quo totus Vicariatus celeriter atque plurimis locis occupandus esset. - De hac re cfr infra.

6 Franz Solan SCHÄPPI (1935), p. 93; Franz Solan SCHÄPPI (1937), p. 203 Thomam Spreiter «magnum praedispositorem rerum scholarium» appellat. - Cfr etiam Siegfried HERTLEIN: Wege christlicher Verkündigung. Münsterschwarzach 1983, 1, p. 154, qui scribit inde ex initio muneris episcopi Thomae Spreiter in dispositione scholari consilium amplum atque prospiciens exstitisse.

*tenere*». <sup>7</sup> Quae sententia generaliter vera est, sed illō in conexū etiam aspectum missionarium habet. Scopus eius itaque erat duplex, nempe unā ex parte interna qualitatis melioratio scholarum institutionumque, alterā ex parte extensio retis scholarum exterarum. Uterque autem scopus cohaerebat quōque cum condicionibus scholaribus in Germanicā Africā Orientali vigentibus. <sup>8</sup> Nam Thomae Spreiter aemulatio quaedam cum scholis regiminis necessaria esse videbatur, ut qualitate scholarum missionariarum melioratā demonstraret tot scholas regiminis non esse necessarias et hunc in modum contra maiorem dissipationem Islamismi se verteret. <sup>9</sup> Sed maior celeriorque extensio externa spectabat ad vehementem progressum missionariarum consociationum protestanticarum. <sup>10</sup>

Convertamus autem nunc ad ipsas scholas missionarias Benedictinorum et ad quaestionem, quale curriculum ibi fuerit (si hōc omnino dici potest) et quomodo qualitas harum scholarum percepta sit. In initio autem materiae eruditionis nondum erant nimis amplae profundaeque. Centralis scilicet erat institutio religionis catholicae, sed etiam elementa legendi, scribendi compu-

---

7 Thomas Spreiter: Allgemeiner Visitationsbefund (7.5.1910-6.4.1911), 25.3.1911, p. 9 (ASO, Z.1.01). - Sententia originaliter Theodisca. - Quam persuasionem iterat ex. gr. in epistula circulari die 31 m. Dec. a. 1915 ad stationes missionarias datā (ASO, Z.1.01). - *Cfr.* Siegfried HERTLEIN (1983) 1, p. 156.

Scitū dignissimum atque magni momenti est deliberatio quaedam politica, ut ita dicam, quam Thomas Spreiter in relatione visitationis die 25 m. Mart. a. 1911 conscriptā, p. 9 (ASO, Z.1.01) protulit et quā alium quōque aspectum, cur in eruditionem scholarem Africanorum necessario esset incumbendum, exhibuit. Nam ibīdem scripsit nonnullis in coloniis illos Africanos ius suffragii habere, qui saltem nomen suum scribere valerent. Hac in re coloniae Germanicae recedere non licere et - etiamsi hōc fortasse demum post multos annos accideret - esse officium missionarium id curare, ne tunc Africani Christiani fierent cives secundi ordinis.

8 Certamen cum regimine, cum protestantibus et contra Islamismum in rebus scholaribus Africae Orientalis fuisse condicionem specialem Benedictinorum commemorant Franz Solan SCHÄPPI (1935), p. 68, pp. 70 sq., p. 75, p. 92; Franz Solan SCHÄPPI (1937), p. 177, pp. 180 sq., p. 185, p. 202; Siegfried HERTLEIN (1983) 1, p. 151, p. 154, p. 159.

9 De hōc conexū *cfr.* supra cap. 4.12.2.1. - Contra scholas regiminis, quae sine institutione religiosā imprimis discipulis Muslimis faverent atque sic Islamismum promulgarent, iam episcopus Cassianus Spiss symbolā quādam die 5 m. Dec. a. 1902 conscriptā se converterat (ASO, A.7.1.04). - Tamen hōc problema diutius vigeat atque saepius disputabatur, ut ex. gr. ex epistulā gubernatoris Albrecht von Rechenberg die 7 m. Aug. a. 1909 ad omnes scholas regiminis directā apparet (ASO, Z.1.01).

10 De hōc conexū atque difficultatibus inde exortis *cfr.* fusius infra cap. 4.12.2.4.

tandique atque interdum ars cantandi docebantur.<sup>11</sup> Sermo autem institutionis erat iam satis mature lingua Suahelica,<sup>12</sup> etiamsi Benedictini insimul, quandocumque necessitas exstabat, linguas vernaculas gentium indigenarum curabant.<sup>13</sup>

Sed decursū temporis - imprimis inde ex illo momento, quo Thomas Spreiter munus Vicarii Apostolici susceperat - paulatim etiam quaedam mutationes animadvertebantur, quae spectabant ad materias amplificatas. Scopus enim erat in eo, ut curriculum scholarum missionariarum - saltem in maioribus scholis stationum - ad curriculum scholarum regiminis adaptaretur.<sup>14</sup> Itaque praeter res elementarias etiam aliae disciplinae docebantur, velut geographia, scientia rerum naturalium, institutio realium, ars delineandi, athletica et similia.<sup>15</sup> Hunc modum progrediendi Benedictini etiam posterioribus tempo-

- 
- 11 Martin SCHLUNK: Die Schulen für Eingeborene in den deutschen Schutzgebieten. Hamburg 1914, p. 48 et Franz Solan SCHÄPPI (1935), p. 98; Franz Solan SCHÄPPI (1937), p. 208 afferunt horarium scholare, quod anno 1903<sup>o</sup> in missionariā statione Kwirowi vigeat, ubi hae «disciplinae» docendae enumerantur.
  - 12 De hōc totō problemate conexūque *cfr* supra cap. 4.12.2.2. - Tempore episcopi Cassiani Spiss conamina linguae Theodiscae docendae adhuc magis fiebant, sed episcopus Thomas Spreiter manifeste linguae Suahelicae favebat et saepius quōque erga officiales hanc suam opinionem eiusque causas protulit. - *Cfr* ex. gr. Thomas Spreiter: Bericht der Benediktiner im Apostolischen Vikariat Daressalam (1.4.1911-31.3.1912), 18.7.1912, p. 2 (ASO, Z.1.08), Thomas Spreiter: Rundschreiben an Missionsstationen und Apostolische Vikare, 14.7.1913 (ASO, Z.1.01), ubi etiam modum procedendi proponit, quo hac in quaestione ad officiales Germanos converti possit; Thomae Spreiter epistula die 3 m. Sept. a. 1913 ad Matthiam Erzberger directa (ASO, Z.1.04).
  - 13 Imprimis in institutione primariā linguae vernaculae adhibebantur illis in regionibus, in quibus scientia linguae Suahelicae nondum erat nimis dissipata neque communis. - Siegfried HERTLEIN (1983) 1, p. 71 nonnulla exempla praebet.
  - 14 Scitū dignum mihi esse videtur Norbertum WEBER: Euntes in mundum universum. St. Ottilien 1908, p. 67 monuisse, ne ea, quae in scholis elementariis Germanicis docerentur, indiscriminatim ad scholas Africanas transferrentur. Nam falsa principia esse talia, quae sine praedeliberatione ex civitate aliena alicui populo superponerentur.
  - 15 In relatione annua a. 1911/12 ad gubernium coloniale directā Thomas Spreiter scripsit curriculum scholarum esse generaliter idem ac in scholis regiminis, sed partim finibus paulo minoribus. - *Cfr* Thomas Spreiter: Bericht der Benediktiner im Apostolischen Vikariat Daressalam (1.4.1911-31.3.1912), 18.7.1912, p. 2 (ASO, Z.1.08). - De hac re *cfr* etiam Franz Solan SCHÄPPI (1935), p. 98; Franz Solan SCHÄPPI (1937), p. 209; Siegfried HERTLEIN (1983) 1, p. 124; Frank DÖRNER (1995), p. 38.

ribus secuti sunt,<sup>16</sup> id est post primum bellum mundanum, cum colonia Germanica Africae Orientalis non iam exstitit atque Angli territorium suscepant.<sup>17</sup> Tamen tempore coloniae Germanicae non exstabant exactum curriculum horariumque, quae in omnibus Benedictinis scholis stationum valebant, sed videtur independentia quaedam singularum scholarum viguisse, quae cohaerebat cum condicionibus specialibus variarum stationum.<sup>18</sup>

Ad curriculum vero Benedictinorum etiam pertinebat «eruditio laborandi», quae dicitur.<sup>19</sup> Hōc significat discipulos non solum «intellectualiter» eruditos esse, sed eodem tempore et modo parallelo opera quaedam exanclanda didicerunt. Scopus autem erat in eo, ut iuvenes talia quōque addicerent, quibus postea ad vitam cottidianam sustentandam uti possent.<sup>20</sup> Hac in re Ottiliani Fratres laici multum attribuerunt. Erat ergo eruditio ad totum homi-

---

16 Hoc tunc spectabat ad Praefecturam Lindiensem et deinde ad Abbatias Nullius illius regionis.

17 *Cfr* ex. gr. Franz Solan SCHÄPPI (1937), p. 311; Meinulf KÜSTERS: Die Missionsschule Peramiho. In: Missionsblätter 32, 1928, p. 226.

18 P. Antonius Ruedel Provicarius anno 1910<sup>o</sup> iussū episcopi textum circularem ad stationes misit, quem P. Bernhardus Busch exaraverat. Ibīdem praeter alia legitur non exhiberi proposita singula, quod attinet ad curriculum et horarium, cum singulis in stationibus temporis spatium scholae frequentandae, numerus cottidianarum institutionum etc. differant. (Bernhard Busch / Anton Ruedel: Ungeteilte Schulen in der Mission, 13.11.1910 (ASO, Z.1.01). - Ceterum P. Bernhardus Busch, antequam in monasterium intraverat, hōc munere eruditus per plures annos magister scholae elementariae fuerat (*cfr* ASO, A.1.1 (PA Busch)).

19 «Eruditionem laborandi» fuisse partem constitutivam educationis commemorant ex. gr. Franz Solan SCHÄPPI (1935), p. 100; Franz Solan SCHÄPPI (1937), p. 211; Meinulf KÜSTERS: Die Missionsschule in Peramiho. In : Missionsblätter 32, 1928, p. 226; Siegfried HERTLEIN (1983) 1, p. 153. - Frank DÖRNER (1995), p. 38 magis generaliter asseverat eruditionem scholarem apud Benedictinos fuisse rem secundariam, maioris momenti fuisse «eruditionem laborandi» operibus manualibus in agris praediisque.

20 Etiam Abbas Norbertus Weber variis locis in hanc quaestionem incubuit. *Cfr* ex. gr. Norbert WEBER: Ziele und Wege der Eingeborenenerziehung. In: Verhandlungen des Deutschen Kolonialkongresses 1910 zu Berlin am 6., 7. und 8. Oktober 1910. Berlin 1910, p. 679, ubi dixit «eruditionem laborandi» non significare «*eruditionem laborandi pro nobis*», sed introductionem ad progressum socialem culturalemque, ita ut indigenae laborando ad proprias condiciones prosperas pervenirent. - Fusius de hōc thmeate *cfr* Norbert WEBER: Euntes in mundum universum (1908), pp. 72 sqq.

nem spectans,<sup>21</sup> quamvis initia vere simplicia essent. Tamen recordemur oportet systema aliquatenus simile in patrio seminario Ottiliensi viguisse, ubi discipuli atque futuri monachi missionarii que cottidie per certum spatium temporis manualiter laborare obligati erant.<sup>22</sup>



*Discipulae in schola stationis Kwiros.*  
[ASO, Archivum imaginum.]

Sed alius aspectus eruditionis indigenarum iterum commemorandus est. Nam Benedictini - sicut plerique alii missionarii et catholici et protestantici - educationi scholari puellarum quoque operam dederunt.<sup>23</sup> Quod puellis

---

21 Sic hanc educationem etiam percipiunt ex. gr. Franz Solan SCHÄPPI (1935), p. 100; Franz Solan SCHÄPPI (1937), p. 211; Anthony SMITH: The missionary contribution to the education. *In:* Tanganyika Notes and Records 60, 1963, p. 104.

22 *Cfr* supra cap. 4.12.1.1.

23 *Cfr* Franz Solan SCHÄPPI (1935), pp. 94 sq.; Franz Solan SCHÄPPI (1937), p. 205. - Generaliter de hac condicione *cfr* Horst GRÜNDER: Christliche Mission und deutscher Imperialismus. Paderborn 1982, p. 253; A.R. THOMPSON: Historical survey on the role of the Churches in education from pre-colonial days to post-independence. *In:* Allan J. GOTTNEID (ed.): Church and Education in Tanzania. Nairobi 1976, p. 23; Juhani KOPONEN: Development for exploitation. German colonial policies in Mainland Tanzania, 1814-1914. Helsinki / Hamburg 1995, p. 524; George HORNSBY: German Educational Achievement in East-Africa. *In:* Tanganyika Notes and Records 62, 1964, p. 88; FRANZ ANSPRENGER: Schulpolitik in Deutsch-Ostafrika. *In:* Peter HEINE / Ulrich VAN DER HEYDEN (edd.): Studien zur Geschichte des deutschen Kolonialismus in Afrika. Pfaffenweiler 1995, p. 63.

praebebatur, erat eruditio elementaria, quā maiore ex parte pauciora continuisse dicuntur quam in institutione puerorum. Classes puellarum plerumque a pueris separatae erant<sup>24</sup> et puellae ab Sororibus docebantur. Etiam si illis annis eruditionis gradus puellarum erat minor, ipsum factum eas ad scholas accitas esse erat progressus maximi momenti.<sup>25</sup> Tamen alterā ex parte iam



*Classis puellarum in schola stationis Kwiro.  
[ASO, Archivum imaginum.]*

tempore Praefecti P. ris Mauri Hartmann conamen exstabat, quo puellae bonā indole praeditae in oecotrophēo Daressalamensi a Sororibus ducto eruditionem ampliorem profundioreque acciperent. Scopus erat in eo, ut tales puellae deinde ut magistrae et catechistriae missionarios in opere ad mulieres spectante adiuvari possent.<sup>26</sup> Erat vero conamen extraordinarium singulare-

---

24 Imprimis in scholis exteris interdum etiam classes mixtae exstabant.

25 *Cfr* ex. gr. Thomas Spreiter: Bericht der Benediktiner im Apostolischen Vikariat Dar-essalam (1.4.1911-31.3.1912), 18.7.1912, p. 2 (ASO, Z.1.08), qui refert Benedictinos iam pridem puellas ad scholas accire, ut ibidem legere et scribere discerent. Hunc in modum missionarios statum mulierum meliorare atque viris possibilitatem praebere velle, quā uxorem Christianam sibi aequalem in matrimonium ducerent. - Etiam Abbati Norberto Weber eruditio puellarum erat magni momenti, quam eisdem argumentis propagavit. *Cfr* ex. gr. Norbert WEBER: Euntes in mundum universum (1908), pp. 80 sqq.; Norbert WEBER: Menschensorge für Gottes Reich. St. Ottilien 1913, p. 265.

26 Maurus Hartmann: Relatio de statu Praefecturae Apostolicae Zanguebarensis Meridionalis, 1.5.1897, pp. 2 sq. (ASO, Z.1.08): «*Omnes paene puellae ediscunt etiam scribere et legere, excellentiore autem ingenio praeditae scholae elementis diligentius*



que, quod apud alias consociationes missionarias non invenītur.

Quomodo autem scholae institutionesque dispositae erant? Uti iam dictum est, generaliter distinguebantur scholae principales, quae in ipsis stationibus sitae erant, atque scholae exterae.<sup>27</sup> Scholae stationum - saltem inde a tempo-



*Aedificium scholare stationis Nyangao.  
[ASO, Archivum imaginum.]*

re episcopi Thomae Spreiter - curriculum ampliatum atque plures horas institutionum habebant et ductae erant ab missionariis Europaeis. Insuper exstabant minimum duae classes, quae in diversis oecis instituebantur. Res aliter se habebant in scholis exteris. Ibidem omnes discipuli ab uno eodemque magistro, nempe Africano quodam, in uno eodemque oeco docebantur. Itaque huiusmodi scholae appellabantur «indivisae».<sup>28</sup> Regulariter vero missionarii stationis principalis ad institutiones invisendas diiudicandasque illūc vērunt.

Dispositio vero erat haec: Generaliter expectabantur (sive spes saltem erat)

---

*excoluntur, ita ut in posterum missionariis in erudiendis catechumenis feminis auxilio esse possint.» - Textus originaliter Latinus.*

27 Aedificia scholaria erant satis simplicia. Hōc valet pro ipsis stationibus, sed eo magis pro scholis exteris.

28 Quomodo illae scholae exterae disponendae essent, explicabatur epistolā circulari die 13 m. Nov. a. 1910 ad singulas stationes directā (ab provicario P.re Antonio Ruedel missā et a P.re Berhardo Busch exaratā) (ASO, Z.1.01). Infra hanc dispositionem legitur eandem iussu episcopi ad effectum esse adducendam.

discipuli quinque sexve annos scholam elementariam frequentare. In scholis exteris plerumque tres sectiones distinguuntur,<sup>29</sup> nempe classis inferior (primus et secundus annus scholaris), classis media (tertius et quartus annus scholaris), classis superior (quintus et sextus annus scholaris). Singulae sectiones, quae omnes in eodem oeco congregantur, secundum gradum suum peritiae instruuntur. Sed magister semper unam solam sectionem directe advertit, id est eius discipulos docens exercensque, reliqui discipuli interea in pensa scripta varii generis incumbunt.<sup>30</sup> Materiae docendae de sectione in sectionem ampliuntur atque profundiores fiunt.<sup>31</sup> Quidam discipuli provectiones, quibus maius ingenium erat, interdum ad scholas principales stationum mittebantur.<sup>32</sup>

---

29 Legitur in epistolā circulari anni 1910<sup>i</sup> (ASO, Z.1.01) in scholis exteris, quibus parvus numerus discipulorum est, duas sectiones principales sufficere.

30 Hic modus progrediendi videtur idem fuisse ac in parvis Germaniae scholis elementariis priorum temporum.

31 In epistolā circulari anni 1910<sup>i</sup> (ASO, Z.1.01) etiam dicitur sectionis tertiae discipulos bonā indole praeditos omnia nota non iterum iterumque repetere debere, sed eos amplius erudiendos esse. Enumerantur hōc locō facultates acquirendae (velut epistulas scribere, rationes nummarias componere etc.), quae imprimis ad curriculum scholarum regiminis pertinebant.

32 Haec de condicione optatā. Tamen in vitā cottidianā res saepe non tam regulariter progrediebantur. Hōc praeter alia etiam cohaerebat cum frequentiā, quā discipuli scholam adibant. Nam variis ex causis plures discipuli non regulariter institutiones participaverunt, ex. gr. familia iuvenibus indigebat ad labores domesticos exanclandos sive liberi quōque in praediis communibus operari debebant sive simpliciter scholae adesse non desiderabant etc. Facile imaginari possumus effectum institutionum hunc in modum non fuisse optimum et praeterea rhythmum cottidianum quadamtenus perturbari. Itaque mutationem huiusmodi condicionis et stabilitatem quandam institutionum episcopus Thomas Spreiter quōque pro scholis missionariis Vicariatūs desideravit. Eā de causā saepius admonuit id necessarium esse, quod illo tempore «coercitio ad scholam» appellabatur. Sic ex. gr. in relatione annuā Vicariatūs anno 1912<sup>o</sup> ad gubernium directā scripsit scholas satis irregulariter frequentari, quia minimus praetextus non veniendi iam sufficeret. Itaque numerus discipulorum in relatione indicatus non omnino congruere cum verā frequentiā. Optandum ergo esse, ut saltem pro illis discipulis, qui scholae inscripti sunt, genus quoddam «coercitionis» introduceretur (*cf.* Thomas Spreiter: Bericht der Benediktiner im Apostolischen Vikariat Daressalam (1.4.1911-31.3.1912), 18.7.1912, pp. 2 sq. (ASO, Z.1.08). Paulo fusius idem in hanc quaestionem incubuit epistolā die 3 m. Sept. a. 1913 ad Matthiam Erzberger directā (ASO, Z.1.04). Ibīdem querebatur in Africā Orientali officialiter quidem nullam «coercitionem ad scholam» exstare, sed regimen a praepositis vicorum pro scholis suis tamen discipulos «postulare». Cum autem ageretur de scholis missionariis, indigenas «doceri» scholam adire non esse iussum (itaque subaudiri «nolite

Sed alia quōque quaestio, quae erat alicuius momenti, cohaerebat cum materiis, quibus discipuli docebantur. Hac in re agebatur imprimis de libris scholaribus. Diutius vero videtur, quod attinet ad tales materias institutorias, in singulis scholis missionariis diversitas quaedam exstitisse. Nam unā ex parte nonnulli missionarii, qui munere magistri fungebantur, proprios textūs libellosque exaraverunt, alterā ex parte interdum ut praemia scholis missionariis etiam libri scholares praebentur, qui in scholis quōque regiminis erant in usū. Hōc quidem non erat malum, cum libri essent cari, tamen huiusmodi libri scholares Benedictinis propter scopos suos principales non omni ex parte erant opportuni, cum in iisdem solum textūs profani invenirentur, qui nullum conexum cum religione habebant.

Itaque episcopus Thomas Spreiter iam statim, postquam munus Vicarii suscepit, librum cum lectionibus religiosis catholicisque adpetivit, qui tamen non esset liber precum, sed liber cum textibus cottidianis hodiernisque.<sup>33</sup> Sed hōc propositum ad effectum adducere videtur non iter facile fuisse, cum Thomas Spreiter librum scholarem desideraret, qui omnibus in Vicariatibus Africae Orientalis adhiberetur. Denique anno 1912<sup>o</sup> reliquis episcopis Vicariisque consilium proponere valuit, quod in primo conventū episcoporum Africae Orientalis mense Iulio a. 1912<sup>i</sup> in oppido Daressalamensi habito comprobatum est. Constitutum enim est, ut commissio quaedam institueretur, cuius participes ex variis Vicariatibus exoriundi singulas partes libri futuri

---

illuc ire»). Sub tali condicione - ita conclusit Thomas Spreiter - etiam in Germaniā liberi scholam non frequentarent. Etiam illā in epistolā itaque genus quoddam «coercitionis» postulavit, nempe optavit, ut omnes liberi Christiani scholam adire deberent et ut liberi, qui scholae inscripti sunt, totum tempus scholare sustinere deberent neque ad libitum eis aufugere liceret. - Episcopus Thomas Spreiter non erat unicus, qui tales regulas desideravit. Nam ex. gr. iam anno 1904<sup>o</sup> missionarius protestanticus Martinus Klamroth in epistolā ad gubernatorem directā postulavit, ut «coercitio ad scholam» stricte exercenda esset (*cf.* Christel ADICK / Wolfgang MEHNERT: Deutsche Missions- und Kolonialpädagogik in Dokumenten. Frankfurt/M / London 2001, pp. 87 sq., ubi textus huius epistolae affertur). - Nobis hodiernis terminus, qui est «coercitio ad scholam» non ita bene sonat, imprimis cum cogitemus de methodis, quae ad eam exercendam adhiberi possint. Tamen in modernis civitatibus exstat publica «obligatio scholae frequentandae», quae quōque legibus adhibitis ad effectum adduci potest, nisi observatur.

33 Franz Solan SCHÄPPI (1935), p. 75; Franz Solan SCHÄPPI (1937), p. 185 hōc commemorat indicans Thomam Spreiter iam mense Ianuario a. 1907<sup>i</sup> tales deliberationes protulisse, quae praeterea etiam spectabant ad periodicum catholicum condendum.

exararent.<sup>34</sup>

Quantopere labores praevis iam progressi sint, nescitur. Sed Thomas Spreiter non nimis diu post hunc conventum sententiam suam hac in re mutavit. Hōc apparet ex epistulā, quam īdem mense Martio anni 1913<sup>1</sup> ad episcopos Africae Orientalis misit et quā agitur de hōc librō scholari.<sup>35</sup> Causa autem, cur interea aliter deliberavisset, erant consultationes cum missionariis suis initas. Nam unus ex Patribus Benedictinis, qui in Germaniā per decem annos magister scholae elementariae fuerat,<sup>36</sup> talem proprium librum catholicum dissuasit. Novus scopus tunc erat in eo, ut episcopus Benedictinus putavit opportunius esse in libro scholari regiminis, qui praeparabatur, cooperari.<sup>37</sup> Argumenta vero communia illius Patris atque ipsius Thomae Spreiter, quae erant omnino practica, erant haec: primo librum institutorium componere est inceptum magni momenti, ad quod efficiendum specialistae sunt necessarii, qui in regionibus missionariis desunt. Deinde cum magistri scholarum regiminis iam sint in eo, ut librum componant, melius est cooperando vires imponere, ut ille liber indolem Christianam acciperet.<sup>38</sup> Porro propter maiorem editionem, si missiones quōque participant, liber etiam fore minoris pretii. Denique Thomas Spreiter putavit tali institutorio libro communi praeter emolumentum pecuniarium etiam utilitatem spiritualem fore, cum sic in scholis quōque regiminis res religiosae Christianaeque subintroduceren-

---

34 *Cfr* Beschlüsse der ersten Konferenz der ostafrikanischen Bischöfe im Juli 1912. Daressalam 1912, p. 4 (ASO, Z.1.31).

35 *Cfr* epistula Thomae Spreiter die 23 m. Mart. a. 1913 ad episcopos missa (ASO, Z.1.01).

36 Agitur de P.re Bernhardo Busch. In epistulā diei 23 m. Mart. a. 1913 (ASO, Z.1.01) Thomas Spreiter scripsit illum Patrem decem annos in schola docuisse. Franz Solan SCHÄPPI (1937), p. 186 per errorem de duodeviginti annis scribit.

37 Epistulae ad episcopos directae immediate praecesserat commercium epistulare Thomae Spreiter cum regiminis inspectore scholari Ramlow, quo de hōc themate agebatur. - *Cfr* epistula Thomae Spreiter die 18 m. Mart. a. 1913 ad inspectorem scholarem Ramlow directa (ASO, Z.1.01); epistula inspectoris scholaris Ramlow die 22 m. Mart. a. 1913 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.1.01). - His in epistulis solum agebatur de praedeliberationibus cooperationis cuiusdam, quae etiam a magistris publicis sub quibusdam aspectibus optabatur.

38 Thomas Spreiter generaliter de indole Christianā scripsit et subiunxit aspectūs mere catholicos deinde in ipsā institutione scholari specialiter exhiberi posse.

tur.<sup>39</sup> - In libro scholari communi conficiendo itaque iam quaedam initia facta erant, tamen omnia paulo post in irritum ceciderunt, cum primum bellum mundanum incoharetur.

Hae omnes res modo relatae certe erant, quod attinet ad institutionem scholarem, magni momenti. Sed magni ponderis etiam sunt magistri eorumque qualitas. Nam optimum curriculum atque optimus liber scholaris non nimis multum prosunt, si magistri non sunt ita boni. Haec quaestio qualitatis spectat et ad scientiam disciplinarum et ad eruditionem didascalicam et ad internum impetum gaudiumque docendi. Quomodo ergo structura magistrorum apud Benedictinos disposita erat?

Benedictini in Vicariatū suo duo genera magistrorum habebant, nempe ipsos missionarios Europaeos, qui scholas in ipsis stationibus sitas ducebant, et Africanos magistros indigenas, qui imprimis in scholis exteris docebant eisdemque praeerant, sed interdum etiam in stationibus auxilium in docendo tulerunt.<sup>40</sup> Sed magistri Africani eorumque institutiones semper erant sub ditione magistri missionarii, qui etiam scholas externas regulariter invisit. Nihilominus missionarii Europaei, qui munere magistrorum fungebantur, tempore Germanico plerique non specialiter hac in re erant eruditi. Tamen hōc non significat eos non deliberavisse de methodis docendi, de modo progrediendi, de materiis tradendis et sic porro.<sup>41</sup> Specialis autem condicio

---

39 Cum Thomas Spreiter in epistolā mense Martio a. 1913 ad episcopos directā scriberet fore missionem indirectam, quia perpetrare valerent omnia Islamitica ex libris regiminis exclusum iri atque Christiana susceptum iri, puto episcopum paululum erravisse. Nam certe non omnia, quae ad Islamum spectabant, excludebantur. Hōc iam apparet ex verbis inspectoris scholaris Ramlow, quae in epistolā die 22 m. Mart. a. 1913 ad Thomam Spreiter directā protulit. Ibi enim praeter alia legitur protestantes cooperationem participaturos non esse, quia iidem mutationes, quae spectant ad Mohammedum atque Islamum, postularent, quibus dissensiones exorirentur et quibus supremus scopus, id est omnes discipulos libenter in libro legere debere, in irritum caderet. Inde concludi potest etiam discipulos Muslimos respectos esse neque magistros publicos in animo habuisse omnia ad Islamum spectantia ex libris scholaribus amovere.

40 De hac quaestione *cf.* Franz Solan SCHÄPPI (1935), p. 101; Franz Solan SCHÄPPI (1937), p. 212; Siegfried HERTLEIN (1983) I, p. 122 sq.

41 Scitū digna sunt ea, quae Benno HECKEL: Schule und Erziehung in der afrikanischen Heidenmission. *In:* Missionsblätter 35, 1931, pp. 189 sqq. symbolā prolixā de magistro missionario eoque Europaeo et de eius modo progrediendi docendique protulit. Descriptio et postulata auctoris sunt quidem ex propriā experiētiā deprompta, tamen possunt secundum methodologiam Maximiliani Weber quadamtenus ut typus idealis sive typus purus percipi (*cf.* Max WEBER: Die «Objektivität» sozialwissenschaftlicher und sozial-

---

politischer Erkenntnis (1904). In: Gesammelte Aufsätze zur Wissenschaftslehre. Tübingen 1988, pp. 146-214, hic pp. 190 sqq.). - Benno Heckel initium capit a principiis fundamentalibus, quae magister missionarius necessario observare debet. Primo oportet magistrum missionarium linguam vernaculam illius gentis addiscere, quam docere incipit. Praeterea magister modum cogitandi indigenarum, imprimis gentis, apud quam operatur, sibi profunde acquirere, id est eius totum cultum civilem noscere et intellegere debet (quod solum scientiā linguae vernaculae fieri potest. Itaque lingua Suahelica secundum eius opinionem solum est secundaria, cum non sit originalis). Deinde necessarium est, ut scientiam indigenarum et etiam principes gentis aestimet. Porro consuetudines atque perceptiones in gente usitatas critice ne diiudicet, cum talis modus se gerendi magno detrimento esse possit. Generaliter vero variis laboribus auxiliisque genti utilis se praebere debet. Magni momenti praeterea est magistro missionario terrae atque vitae indigenarum studendum esse, ad quae studia pertinet festa, conventūs, labores eorum saepe participare, cantica, mythos fabulasque colligere, quae materiae ad institutiones exhibendas sunt pretiosissimae atque pro libris scholaribus sunt maioris momenti quam fabulae Europaeae in linguas vernaculas conversae. Horum vero studiorum numquam revera est finis, cum eadem sint semper continuanda. Opera docendi educandique magistro non licet incohare, antequam satis magna scientia civilis cultūs gentis acquisita est. Totus enim labor superstruendus est cultui civili gentis, quia aliter magni errores fieri possunt. Africani asservent indolem suam nationalem, laboribus magistri missionarii solum apti fiant, ut cultum civilem suum in gradum quendam superiorem convertant. Itaque consuetudines moresque gentis maximā ex parte, quantum fieri potest, asservandi sunt, cum contra mores se vertere significet contra auctoritates se vertere. Insuper magister missionarius semper provideat, ut principes gentis opera docendi educandique libenter ascendant atque assumant, ita ut ipse efficaciter laborare possit. (pp. 221 sqq.) - His rebus magnā ex parte factis magister missionarius praedeliberationibus quibusdam componit indigenarum cultūs civilis res bonas, res malas, res minoris momenti, res contra Christianitatem versae, praeterea deliberat de modo suo progrediendi, ut omnia facile et bene intellegantur, et etiam de methodis futuris, de quaestione, quales libros scholares conscribere velit et qualia curricula ad effectum adducere velit, cogitat. Deinde denique vera opera docendi incohare poterit. Tamen consilia sua non omnia insimul exhibere poterit. (pp. 255 sqq.) - Sed inde ab initio magister missionarius auxiliares auxiliatīcesque sibi quaerere debet, id est Soreres Fratresque conversos pro scholis principalibus et pro scholis exteris magistros cathechistasque Africanos. In scholis elementariis, quae sunt maioris momenti, doceantur imprimis religio, sed etiam lingua, facultates legendi, scribendi, computandi cantandique, historia, geographia, doctrina rerum naturalium, athletica, opera manualia. (pp. 284 sqq.) - Quod attinet ad methodum, talem esse bonam existimatur, si condicionibus indigenarum bene congruit. Necessarium ergo generaliter est, ut res in institutione modo simplici praebeantur, ut facile percipiantur, ut sint attractivae, ut argumenta doctrinae semper progrediantur. Cum spectentur materiae in institutione adhibendae, auctor putat magistro missionario libros scholares primo tractandos adaptandosque esse, cum solae versiones librorum Europaeorum nihil prosint. Etiam in institutione religiosā inutilis est cathechismus, qui in Europā est in usū, in linguam vernaculam vertere, cum idem quōque adaptandus sit. (pp. 287 sqq.) - Denique Benno Heckel etiam in illa opera incumbit, quae magister missionarius extra scholam

apud Benedictinos erat, quod necessitate exstante interdum schola quaedam puerorum etiam Sororibus tradita est vel etiam scholae puerorum atque puellarum coniungebantur. Inspector scholaris tunc semper erat Prior illius stationis, in quā schola erat sita. Post primum bellum mundanum, postquam Angli territorium Africae Orientalis susceperunt, res, quod attinet ad eruditionem magistrorum, aliter se habebant. Nam Angli etiam ab Europaeis, qui in scholis missionariis docere voluerunt, diploma magisterii postulaverunt. Itaque Benedictini, quibus post primum bellum mundanum Praefectura Lindiensis restabat, satis mature quattuor Patres atque duas Sorores in Angliam miserunt, ut tale diploma sibi acquirerent.<sup>42</sup>

Sed revertamur ad tempus Germanicae Africae Orientalis. Iam illo tempore Benedictini sibi erant conscii ad bonos progressūs in rebus scholaribus faciendos et ad aemulationem cum scholis regiminis sustentandam qualitatem magistrorum missionariorum Europaeorum nondum satis sufficere. Itaque iam in Capitulo generali anni 1906<sup>1</sup> constituebatur, ut plures Patres statalem «facultatem docendi» in scholis elementariis sibi acquirerent.<sup>43</sup>

Sed etiam aliud experimentum illo tempore factum est. Nam anno 1907<sup>o</sup> episcopus Thomas Spreiter duos magistros Germanos scholae elementariae contractū accivit, ut in Vicariatum Daressalamensem venirent.<sup>44</sup> Scopus erat in eo, ut iidem unam alteramve missionariam scholam principalem secundum exemplum Europaeum bene disponerent atque speciale curriculum missionarium exararent, et verisimiliter praecogitatum erat, ut missionariis possibilita-

---

exhibere debet, velut discipulos etiam domi visitare, commercium cum parentibus familiāque habere, discipulos ad parsimoniam educare, malos effectūs civilizationis suppressere, festa scholaria, quibus tota gens participat, instituere et sic porro. (pp. 330 sqq.) - Hic nunc solum conspectus quidam cogitationum Bennonis Heckel praeberi potuit, de quarum utilitate tamen deliberandum est.

42 *Cfr* Franz Solan SCHÄPPI (1937), p. 312.

43 *Cfr* Dekrete des zweiten Generalkapitels der Congregation von St. Ottilien O.S.B. für ausländische Missionen (3.4.1906-2.5.1906), p. 7, Decr. XII (ASO, K.3.1). - Siegfried HERTLEIN (1983) 1, p. 157 scribit imprimis Thomam Spreiter hoc decretum instigavisse.

44 *Cfr* Franz Solan SCHÄPPI (1935), p. 73; Franz Solan SCHÄPPI (1937), p. 182, p. 212, qui tamen prioribus locis solum de uno magistro loquitur; Siegfried HERTLEIN (1983) 1, p. 157, qui etiam scribit Thomam Spreiter verisimiliter illos magistros iam immediate post Capitulum generale acquisivisse.

tem praeberent, quā in rebus scholaribus didascalibusque magis erudirentur.<sup>45</sup> Agebatur autem de Ludovico Hefele atque de Iohanne [*Hans*] Frey,<sup>46</sup> quibuscum contractus trium annorum initus erat.<sup>47</sup> Videtur provisum fuisse, ut magistri decursū temporis variis in stationibus operarentur.<sup>48</sup>

Ludovicus Hefele et Iohannes Frey die 24<sup>o</sup> m. Maii anno 1907<sup>o</sup> in oppidum Daressalamense advēnerunt<sup>49</sup> et deinde Iohannes Frey ad stationem missionariam Kwiro se contulit, ubi duobus mensibus post malariā correptus die 13<sup>o</sup> m. Iul. a. 1907<sup>o</sup> vitā functus est.<sup>50</sup> Ludovicus Hefele ad stationem Ndanda missus est, ubi per breve spatium temporis docuit. Mense Augusto a. 1907<sup>i</sup> idem Daressalamensem scholam Europaeorum suscepit, mense Decembri a. 1907<sup>i</sup> ad stationem Ndanda revertit, ut ibidem fundamenta poneret ad scholam magistrorum instituendam.<sup>51</sup> Sed die 29<sup>o</sup> m. Dec. a. 1908<sup>o</sup> Ludovicus Hefele regionem missionariam definitive reliquit et in Germaniam revertit.<sup>52</sup> Videtur ergo illud inceptum non nimis efficax fuisse.

Aliud autem problema solvendum inveniebatur in Africanis magistris indigenis. Iam cum P. Maurus Hartmann Praefectus Apostolicus esset, eidem cogitatio erat, quā in Christianitate propagandā, id est ad primariam instruc-

---

45 De illorum magistrorum Germanorum officiis *cf.* ex. gr. epistula die 25 m. Maii a. 1907 ex oppido Daressalemensi ad Prioratūs Kwiro et Ndanda missa (ASO, Z.1.02). - In epistulā P. ris Antonii Ruedel Kal. Iun. a. 1907 ad Piores datā (ASO, Z.1.02) praeterea legitur, quid praeter salarium officiale magistris praebendum sit et qualia opera tempore subsicivo facienda ab eis exspectata sint.

46 Videntur iidem ex Suebiā exoriundi fuisse. - *Cfr.* epistula die 25 m. Maii a. 1907 ad prioratūs Kwiro et Ndanda missa (ASO, Z.1.02).

47 Franz Solan SCHÄPPI (1935, p. 73; Franz Solan SCHÄPPI (1937), p. 182 scribit illum contractum die 2<sup>o</sup> m. Oct. a. 1907<sup>o</sup> datum esse. Hic aliquid non quadrare videtur, cum illi magistri iam mense Maio in Africam Orientalem advenirent.

48 *Cfr.* Siegfried HERTLEIN (1983) 1, p. 157.

49 *Cfr.* epistula die 25 m. Maii a. 1907 ad Prioratūs Kwiro et Ndanda missa (ASO, Z.1.02). Ibi etiam legitur illos multo prius advenisse quam exspectabatur et quam in Abbatia Ottiliensis revera provisum erat.

50 *Cfr.* Siegfried HERTLEIN (1983) 1, p. 157.

51 *Cfr.* Siegfried HERTLEIN (1983) 1, p. 157.

52 Franz Solan SCHÄPPI (1937), p. 212 adn. 37 scribit propter Ludovicum Hefele scandalum quoddam exortum esse, quā de causā iterum dimissus esset. Sed Siegfried HERTLEIN (1983) 1, p. 157 asseverat de tali scandalo in statione Ndanda nihil notum esse. Franz Solan SCHÄPPI (1937), p. 212 adn. 37 praeterea subiungit propter hanc experientiam non ita bonam cum Ludovico Hefele alterum magistrum contractum non accepisse. Sed haec sententia cum fontibus non congruit.



tionem paganorum, ideoque in scholis missionariis catechistas Africanos adhiberet.<sup>53</sup> Hōc consilium variis ex causis erat satis bonum. Nam unā ex parte in Praefecturā numerus missionariorum ad omnia munera exanclanda atque omnes labores conficiendos non sufficiebat, quā de causā ad indigenas recurrere debuit. Alterā ex parte Africanis responsalitem tradere, quae ad eorum propriam eruditionem spectabat, erat - etiamsi ex necessitate exortus - bonus modus progrediendi. Cum condiciones, quae cohaerebant cum numero missionariorum sufficiente et cum numero scholarum exterarum crescente, decursū temporis non mutarentur, hōc systema per decennia in usū mansit.<sup>54</sup> Difficultas tamen inde exortum est, quod illi catechistae Africani saepe erant iuvenes, qui ipsi modo scholam superaverant. Itaque non multo plura sciverunt quam ea, quae discipulos suos docere debebant et interdum in illis rebus non omnino firmi erant. Praeterea eruditionem didascalicam sive nullam sive mancā habebant.

Imprimis episcopus Thomas Spreiter huius condicionis sibi conscii erat eamque in melius mutare conatus est neque in hac intentione desiit.<sup>55</sup> Ab initio enim, quo munus suum episcopale susceperat, ad hanc quaestionem advertit et multis in epistulis circularibus atque in relationibus quōque visitationum hōc problema sive commemoravit sive fusius in idem incubuit.<sup>56</sup>

Problema autem videtur cohaesisse cum duplici strategemate episcopi, quā unā ex parte rete scholarum celeriter extendere voluit, alterā ex parte bonam qualitatem scholarum habere desideravit. Sed utrumque insimul habere non potuit. Itaque, cum ipse hunc conexum intellexisset<sup>57</sup> et inde ex anno 1907<sup>o</sup> iam magnus progressus quantitatis scholarum factus esset, in futurum praesertim qualitatem scholarum augendam respici voluit. Ad hunc scopum perpetrandum omnino necessarium erat, ut ipsi magistri Africani, ut munere suo efficacius fungi possent, continuo melius erudirentur. Hōc in conexū

---

53 *Cfr* Siegfried HERTLEIN (1983) 1, pp. 122 sq.

54 Etiam illo tempore, quo Angli in territorio Africae Orientalis iam erat responsales, adhuc agebatur de Africanis magistris in scholis exteris.

55 De hac re *cfr* Franz Solan SCHÄPPI (1935), pp. 72 qq., pp. 102 sq.; Franz Solan SCHÄPPI (1937), pp. 182 sq., pp. 213 sqq.; Siegfried HERTLEIN (1983) 1, pp. 124 sqq., pp. 154 sqq.

56 Magni momenti hac in re praesertim sunt Thomae Spreiter relatio visitationis (7.5.1910-6.4.1911) die 25 m. Mart. 1911 data (ASO, Z.1.01) et Thomae Spreiter epistula circularis die 31 m. Dec. a. 1915 ad stationes missionarias directa (ASO, Z.1.01).

57 *Cfr* Thomas Spreiter: Allgemeiner Visitationsbefund (7.5.1910-6.4.1911), 25.3.1911, p. 9 (ASO, Z.1.01), ubi hōc expressis verbis dixit.

alicuius momenti est Thomam Spreiter aperte explicare apud Benedictinos - aliter ac apud alias consociationes missionarias - catechistas nihil aliud esse ac magistros, qui insuper catechismum aliquatenus tradunt.<sup>58</sup> Sed ex causis pecuniariis atque condicione cooperatorum nondum fieri posse, ut haec munera seiungerentur. Itaque eruditio catechistarum est eadem ac eruditio magistrorum.

Sequela autem vigentis condicionis non ita prosperae est propositum atque postulatum episcopi, quod idem anno 1911<sup>o</sup> exhibuit.<sup>59</sup> Nam cum magistri indigenae eruditione profundā indigerent, utile esse institutionem magistrorum futurorum communiter loco quodam centrali exhibere, id est seminarium speciale magistrorum catechistarumve condere. Quia talia variis ex causis non in unāquāque statione fieri posset, Thomas Spreiter cogitavit de loco Kurasini ad tale seminarium centrale instituendum, quod ad totum Vicariatum spectaret.<sup>60</sup> Tamen idem scivit hōc non ex uno die in alterum effici neque statim hunc in modum magnam indigentiam magistrorum expleri posse.<sup>61</sup> Itaque putavit in praesenti modum satis mancum, quo magistri in singulis stationibus erudiebantur, manere debere, uti esset.

Exstant autem cogitationes episcopi, quae hōc in conexū iterum iterumque apparent et quae ei vere cordi erant. Nam existimavit effectum missionarium scholae non a solā institutione religiosā dependere, sed a totō eius statū intellectuali. Itaque maximi momenti, quod attinet ad systema scholare efficax salubreque, esse quaestionem magistrorum. Quantitatem scholarum

---

58 *Cfr* Thomas Spreiter: Allgemeiner Visitationsbefund (7.5.1910-6.4.1911), 25.3.1911, p. 9 (ASO, Z.1.01).

59 Thomas Spreiter: Allgemeiner Visitationsbefund (7.5.1910-6.4.1911), 25.3.1911, p. 9 (ASO, Z.1.01).

60 *Cfr* Thomas Spreiter: Allgemeiner Visitationsbefund (7.5.1910-6.4.1911), 25.3.1911, p. 9 (ASO, Z.1.01). - Hanc cogitationem iam P. Maurus Hartmann habuerat. *Cfr* Maurus Hartmann: Relatio de statu Praefecturae Apostolicae Zanguebarensis Meridionalis, 1.5.1897, p. 2.

61 Scitū dignum est P. rem Severinum Hofbauer duobus annis post haec proposita die 23 m. Nov. a. 1913 epistolam ad Superiores stationum missionarum direxisse (ASO, Z.1.01), quā ductus mancā qualitate magistrorum Africanorum de pluribus quaestionibus sententiam Superiorum scire voluit, quibus agebatur de tali seminario magistrorum. Ex. gr. interrogavit, num commune seminarium fieri posset; num tale seminarium etiam in regione interiore institui atque sustentari posset; quid usque tunc fieret, ut novi magistri acquirerentur etc. Inde apparet usque ad annum 1913<sup>um</sup> nondum multa facta esse, quod attinet ad episcopi propositum seminarii centralis.

quidem non esse neglegendam, sed earum qualitatem praesertim esse respiciendam.<sup>62</sup>

Quamquam Thomas Spreiter qualitatem scholarum magistrorumque postulare atque consilia exhibere non desiit, tamen anno 1915<sup>o</sup> querelae adhuc erant eadem. Nam rebus continuo inspectis episcopus non erat revera contentus. Hac condicione monstratur ea, quae realiter vigeant, satis longe afuisse a postulatis atque desideriis.<sup>63</sup> Scitū dignum et magni momenti ergo est Thomae Spreiter epistula circularis satis prolixa anno 1915<sup>o</sup> exarata, quā specialiter atque tantummodo de eruditione magistrorum agitur.<sup>64</sup> Ibīdem iterum inculcavit Vicariatū urgentissime bonis magistris catechistis indigere, quā de causā eorum eruditio promovenda esset.<sup>65</sup> Propter defectū, quos vidit, et propter pondus huius thematis illo quōque tempore, quo primum bellum mundanum iam inchoatum erat, postulavit, ut in unāquāque statione de eruditione magistrorum curandum esset atque ibīdem scholae huiusmodi

---

62 Quamquam Thomae Spreiter qualitas scholarum atque eruditio magistrorum revera erat cordi, ex causis pecuniariis, id est acceptis pecuniariis deficientibus, idem epistolā circulari die 8 m. Maii a. 1911 datā (ASO, Z.1.01), quā generaliter de parsimoniā adhibendā agebatur, cogitationem protulit, num sub hōc aspectū fortasse etiam numerus catechistarum reduci posset. Putavit autem episcopus non numerum scholarum esse minuendum, sed unicuique catechistae maiorem copiam discipulorum esse tradendum. Tamen postea ab hac deliberatione iterum recessit. - Tale vero propositum satis modernum esse videtur, quia hodiernis quōque temporibus ad parsimoniam exercendam potius classes scholares augentur atque pauciores magistri in scholas recipiuntur, quam aliis in rebus non tam maximi momenti, quae est eruditio iuventutis, expensa minuuntur.

63 Etiamsi iterum iterumque querelae proferebantur de qualitate magistrorum indigenarum, tamen satis multi bonā indole praediti fuisse videntur. Nam erant iidem, qui tempore maxime perturbato, cum inter primum bellum mundanum et immediate post idem missionarii Germani ex stationibus suis amoverentur atque deinde unā cum reliquis Germanis ex Africā Orientali expellerentur, perseverantiā suā, inclinatione in rem atque fide omnibus viribus adhibitis scholas sustentarent. Aliter tota res scholaris omnino corruisset. - Siegfried HERTLEIN (1983) I, p. 127 nonnulla exempla talium magistrorum Africanorum specialiter praebet.

64 *Cfr.* Thomae Spreiter epistula circularis die 31 m. Dec. a. 1915 ad stationes missionarias data (ASO, Z.1.01).

65 Enumeravit autem multa menda et in ipsis magistris et in scholis. Bene scivit haec problemata exorta esse, quia magnus numerus scholarum nimis celeriter fundatus est, quā de causā necessitate coacti Benedictini multos iuvenes nondum satis maturos reddiderunt magistros, quibus qualitates huic muneri aptae deessent (hōc in conexū laudavit condiciones alias, quae apud protestantes vigeant). Praeterea reclamavit fundamenta religiosa apud paene omnes non exstare. - *Cfr.* Thomae Spreiter epistula circularis die 31 m. Dec. a. 1915 ad stationes missionarias data (ASO, Z.1.01).

instituerentur.<sup>66</sup> Condicio autem observanda erat praeter alia in eo, ut solum pueri bono ingenio praediti, qui minimum tredecim annos habent atque scholam elementariam iam plene peregerant, reciperentur.<sup>67</sup> Insuper Africani magistri ipsi regulariter ad cursū didascalicos participandos in stationes vocari vult. Si haec postulata propositaque ad effectum adduci potuissent, certe iam fuissent gressus quidam ad problemata solvenda. Sed tempora perturbata obstabant.

Tamen hōc problema de eruditione magistrorum indigenarum etiam tempore Anglorum nondum minuebatur. Iidem enim, qui post primum bellum mundanum systema suum scholare in regionem introduxerunt, nihilominus structuras quasdam susceperunt et statum existentem paulatim mutare conati sunt. Propter postulata regiminis Anglici et propter condiciones adhuc mancas Benedictini quōque in Praefectura Lindiensi in hanc quaestionem iterum incubuerunt.<sup>68</sup> Distinguendum vero erat inter magistros, qui recenter atque in futurum erudiendi erant, et veteres magistros, quorum eruditio non sufficiens renovanda erat atque qui denuo instruendi erant. Ut hi scopi ad effectum adducerentur, Benedictini imprimis in stationibus Peramiho et Ndanda duas scholas principales condiderunt, quibus in eruditionem magistrorum incumbatur.<sup>69</sup>

Benedictini in re scholari generaliter imprimis scholas elementarias respexerunt. Talis modus scilicet erat utilis, cum totius populi fundamentalis institutio scholaris late dispersa esset in votis. Tamen etiam scholas «altiores» in conspectū habebant. Et ea, quae modo de eruditione magistrorum Africanorum relata sunt, generaliter ad tales scholas «altiores» spectabant.

Speciale genus scholae «altioris» erat seminarium ad indigenas sacerdotes

---

66 Thomas Spreiter scivit condicionibus politicis vigentibus desiderum suum, quo seminarium centrale instituendum esset, in praesenti expleri non posse. Itaque alias solutiones «transitorias» quaesivit. - *Cfr* Thomae Spreiter epistula circularis die 31 m. Dec. a. 1915 ad stationes missionarias data (ASO, Z.1.01).

67 *Cfr* Thomae Spreiter epistula circularis die 31 m. Dec. a. 1915 ad stationes missionarias data (ASO, Z.1.01). - Episcopus hōc locō etiam proposita didascalica profert, quae ad modum progrediendi in iuvenibus instituendis spectabant.

68 *Cfr* Meinulf KÜSTERS: Die Missionschule in Peramiho. In: Missionsblätter 32, 1928, pp. 226 sqq.; Meinulf KÜSTERS: Pastoralkonferenz in Kigonsera. In: Katholische Missionen 56, 1928, p. 272.

69 Quod imprimis haec eruditio renovata veteribus magistris Africanis haud facilis atque vires consumens erat, Meinulf KÜSTERS: Die Missionschule in Peramiho. In: Missionsblätter 32, 1928, p. 227 specialiter commemoravit.

futuros erudiendos. Benedictini autem satis sero hōc thema aggrediebantur.<sup>70</sup> Nam denique anno 1926° initia facta sunt, quibus seminarium huiusmodi conditum est, et hōc quidem in statione Peramiho.<sup>71</sup> P.ri Severino Hofbauer, qui illo tempore scholae magistrorum praeerat, seminarium ad ducendum et



*P. Severinus Hofbauer cum discipulis suis in loco Kwiro receptus.  
[ASO, Archivum imaginum.]*

ad alumnos instruendos traditum est.<sup>72</sup> Primi, qui ad talem eruditionem nomi-

---

70 Instigamentum ad hōc conamen faciendum verisimiliter etiam erant papae Pii XI litterae encyclicae, quorum titulus est «Rerum Ecclesiae» et quae die 28 m. Febr. a. 1926 promulgatae erant (AAS 18, 1926, pp. 65-83). Ibīdem praeter alia expressis verbis papa postulavit, ut missionarii clerum indigenarum excolendum curarent (speciatim pp. 73 sqq.).

71 *Cfr.* Meinulf KÜSTERS: Die Missionsschule in Peramiho. *In:* Missionsblätter 32, 1928, pp. 227; Meinulf KÜSTERS: Pastoralkonferenz in Kigonsera. *In:* Katholische Missionen 56, 1928, p. 272; Eberhard SPIES: 25 Jahre Priesterseminar Peramiho. *In:* Benediktinische Monatschrift 28, 1952, pp. 63 sqq.; Lambert DOERR: Peramiho 1898-1998. In the Service of the Missionary Church. 1. Ndanda-Peramiho 1998, p. 107; Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Ottilien. St. Ottilien 1992, p. 53.

72 Cogitatio ad «seminarium sacerdotale» instituendum videtur cogitatio P.ri Severini Hofbauer fuisse. Cum Eberhardus SPIES: 25 Jahre Priesterseminar Peramiho. *In:* Benediktinische Monatschrift 28, 1952, p. 63 scribat P.rem Gallum Steiger eidem mandatum ad hōc faciendum dedisse, sonat tamquam originaliter idea Galli Steiger fuisset (qui tamen in initio huic rei non favit, sed solum concessit). Ceterum eodem loco legitur de Abbate episcopo Gallo Steiger, qui tamen anno 1926° neque Abbas neque episcopus erat, sed

na dederunt, erant tredecim discipuli. Institutiones partim sequebantur curriculum scholae magistrorum, sed insuper iuvenes linguam Latinam addidicerunt et specialem instructionem rei religiosae acceperunt.<sup>73</sup> Iuvenes autem, qui huic rei se adiunxerunt, revera impetum quendam internum habere debuerunt (etiamsi magna pars eorum decursū temporis iterum ab talibus studiis deficiebat). Nam non solum contra voluntatem familiae hoc saepe fecerunt, sed etiam praesagiebatur temporis spatium eruditionis vere longum fore.

Ut vidimus, in missionariis rebus scholaribus multae diversaeque difficultates exstabant, quae partim cum condicionibus quoque politicis cohaerebant et quae unaquaque vice denuo superandae erant. Tamen Benedictini decursū temporis scholas suas atque institutiones suas ad condiciones postulataque adaptaverunt atque excoluerunt. In summā itaque dici potest iam illo spatio temporis, de quo hic agitur, scholas Benedictinas in Africā Orientali satis bonum effectum exseruisse, non solum quod attinet ad numerum scholarum, quae fundata erant.<sup>74</sup>

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 210, 2017, pp. 497-518]

---

Praefectus Apostolicus.

73 P. Severinus Hofbauer in diario suo (ASO, A.1.8.1) iterum iterumque non solum de re ipsā, sed etiam de variis difficultatibus, contra quas pugnare debuit, rettulit.

74 Hunc in modum rem etiam diiudicant Franz Solan SCHÄPPI (1935), p. 102; Franz Solan SCHÄPPI (1937), pp. 217 sq.; Siegfried HERTLEIN (1983) 1, p. 161.